



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 4. Fertilitas terræ sanctæ diuinis litteris tradita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

Perer. in
c. 3. Exod.
disp. 10.

Apud
A. 11. 11. 11.
A. 11. 11. 11.
A. 11. 11. 11.

Perer. in
c. 3. Exod.
disp. 10.

Strabo.
lib. 16.

pore Davidis, inuenta sunt quindecies centena millia bellatorum. Multitudo autem bellatorum, in prouincia aliqua, censetur, tanquam quarta pars totius multitudinis hominum: præcipue apud Hebræos, qui, nisi à viginti annis, & supra, non conscribebantur ad militiam, exceptis omnibus junioribus, & feminis, quarum plures sibi conjugio copulabant Hebræi, & ijs, qui ob senilem ætatem ad bellum idonei non erant. Quod si igitur tanta Iudæorū multitudo, in tam angusta regione, lautè viuere potuit, necesse est, terram fertilissimam extitisse. Quod magis confirmatur; quia ante Hebræos, longè ibi plures vixerunt, quando adhuc septem ibi gentes diuersæ habitauerunt. Gentes porrò septem ibi prius habitasse, etsi varijs de causis alibi plures, alibi pauciores, in diuinis litteris nominentur, rectè ostendit Pererius.

§. IV.

Fertilitas terræ S. diuinis litteris tradita.

3. Beneficium huius terræ Israëlitis à Deo datæ demonstrat eximia eius fertilitas. Quam licet Strabo, tanquam loco, intra sexaginta stadia, circa Ierusalem, (quam Iosephus totius Iudææ optimam

fuisse affirmat) petroso, arido, & sterili neget; Scriptura tamen, & luculenti alij auctores prædicant. Quid enim aliud ille loquendi modus significat, quo terra illa lacte & melle fluens nominatur; quam vberissima pascua, quibus ingens lactiferorū animalium copia aleretur? & abundantia florū, odoriferarum herbarum, & arborum, quæ idoneæ sunt ad mellificandum? Cuius indicium est, quòd non in saltibus duntaxat, & cauis arboribus, sed passim etiam in foraminibus petrarum apes cubilia sua mellariaq; collocarint; & velut ad aluearia, examina earum, longa vua, ad rupium cavernas confederint. Hoc est, quod dicitur: *Vt sugeret mel de petra* De Deuter.

32.
 filuis autem, quæ apiarijs abundabant, historia Ionathæ, testis est. *Ingressus est populus saltum, & apparuit fluens mel, nullisque applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iuramentum. Porro Ionathas non audierat, cum adjuraret pater eius populum: extenditq; summitatē virgæ, quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manus suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius.* Terræ huius vbertatis testimonium attulerant etiam exploratores

F f verbis,

verbis, & rebus. verbis, cùm Moyſi dice-
rent: *Venimus in terram, ad quam miſſi
nos, quæ reuera fluit lacte & melle, ut ex his
fructibus cognosci poteſt. Ita enim re quoque
ipſa & oculis teſtati ſunt, quanta eſſet bo-
nitas terræ, quando abſciſſum palmitem,
cum vua ſua, vix duo viri, in veſte appor-
tauerunt. Sed nullo alio diſertiùs loco
Scriptura terram ſanctam depingit, quàm
vbi ait: Dominus Deus tuus introducet te
in terram bonam, terram riuorum, & aqua-
rum, & fontium, in cuius campis & montibus
erumpunt fluuiorum abyſſi: terram frumenti,
hordei, ac vinearum: in qua ficus, & mala
granata, & oliueta naſcuntur, terram oleæ
& mellis. Ubi, abſque vlla penuria, comedes panem
tuum, & rerum omnium abundantia
perfrueris: cuius lapides ferrum ſunt, & de
montibus eius aris metalla fodiuntur: ut, cùm
comederis, & ſatiatus fueris, benedicas Domi-
no Deo tuo, pro terra optima, quam dedit tibi.*

§. V.

Fertilitas terre ſanctæ à Iosepho deſcripta.
Hæc ex oraculis ſacris. Meminerunt &
alij ſcriptores, atq; in primis Iosephus, in
Iudæa natus, & educatus, Iudæus ipſe, &
cum dignitate ac imperio in ea regione
verſa.